

nis, sicut organum virtutis visivæ simul cum virtute visiva videt, quia videre est compositum; & sic intellectus omnino sine corpore intelligit, quia hæc operatio non perficitur mediante organo corporali: vel ita quod illud sit objectum operationis, sicut visus non potest videre sine colore; & hoc modo etiam intellectus in statu viæ non potest intelligere sine phantasmate, quod se habet ad intellectum sicut color ad visum, ut Philosophus in III. de Anima, text. xxx. dicit. Et ex hoc non ostenditur quod anima intellectiva habeat esse dependens ad corpus, cum operatio egrediatur ab ipsa absolute. Sed post mortem alium modum intelligendi habebit, de quo locus erit inquirendi in fine quarti (Libri.)

Ad septimum dicendum, quod veritabilis in nihil, nihil aliud ponit in creatura quam dependentiam esse ejus ad principium à quo esse habet; adeo quod si influentia ejus cessaret, quælibet creatura esse desisteret. Sed ex hoc non potest corruptibilis dici, ut in I. Lib. dictum est distinct. viii.

## ARTICULUS II.

*Utrum homo in primo statu habuerit necessitatem moriendi.*

*I. P. quæst. xcvi. art. 1.*

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod homo in primo statu habuit necessitatem moriendi secundum corpus. Quidquid enim sequitur ex necessitate materię, est necessarium necessitate absoluta, ut in II. Physic. text. lxxxviii. habetur. Sed corruptio compositi ex contrariis sequitur ex necessitate materię. Ergo corpus hominis, quod ex contrariis compositum erat, simpliciter & absolute erat necesse corrumpi.

2. Præterea. Quod est corruptibile secundum partem, est etiam secundum totum dissolubile. Sed corpus hominis in primo statu secundum aliquam partem dissolubile erat: alias cibo non uteretur (præcipue quia est formatus in perfecta quantitate) cum nutrimentum sit ad restaurationem deperditi. Ergo videtur quod etiam totum corpus dissolubile foret.

3. Præterea. Ut in V. Metaph. text. vi. dicitur, necessitas cibi est de illis sine quibus non potest esse vita. Sed homo in primo statu habebat vitam cibi indigentem, ut in littera dicitur. Ergo sine cibo vivere non potuisset; & ita videtur quod, quantum in se erat, necessitate mortis haberet.

4. Præterea. Ea quæ differunt secundum genus, non sunt transmutabilia invicem. Sed corruptibile, & incorruptibile sunt hujusmodi, ut in X. Metaph. text. xxvi. dicitur. Ergo non potest esse ut homo, qui nunc est corruptibilis, prius fuerit incorruptibilis.

5. Præterea. Mortale est una de differentiis constitutivis hominis. Sed, ut in VIII. Metaph. text. x. dicitur, qualibet differentia appositæ, vel amotæ, fit alia species, sicut etiam numerus per additionem, & subtractionem unitatis. Ergo si homo ante peccatum fuisset immortalis, fuisset alterius speciei: quod est inconveniens.

Sed contra. Apostolus Rom. vi. 23. dicit: *Stipendium peccati mors*. Ergo homo ante peccatum mor-

(1) *Idest* veritabilis in nihil superius dicta. (2) *Idest* aliqua re, qua illi defectui subveniri non possit; vel cibo, per quem &c.

tuus non fuisset. Idem potest haberi ex hoc quod dicitur Sapient. i. 13. *Deus mortem non fecit... sed impiis manibus, & verbis accerserunt illam.*

Præterea. Pœna non præcedit culpam. Sed mors est maxima pœnarum: unde à Philosopho finis terribilium dicitur in III. Ethic. cap. ix. vel xiv. Ergo ante peccatum mortuus non fuisset.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, ut ex II. Phys. (text. lxxxix.) habetur, ea quæ sunt ad finem, instituantur secundum rationem finis, ut patet præcipue in artificialibus. Cum ergo homo institutus esset ad finem beatitudinis excedentis omnem facultatem humanæ naturæ, oportuit quod in ipsa sui institutione aliquid sibi collatum fuerit supra facultatem principiorum naturalium. Ex principiis autem naturalibus esse perpetuum habere non potest, cum ex contrariis componatur, quod est causa corruptionis in rebus, cum forma materiam perficiat secundum ejus capacitatem. Unde hoc sibi supra conditionem naturæ suæ collatum fuit ut anima quæ in tam nobilem finem ordinabatur, secundum potestatem suam, supra communem naturæ ordinem, quo materia recipit esse secundum sui conditionem, esse perpetuum materiæ communicaret. Et quia hæc potestas animæ super corpus consequeretur ex ordinatione ejus in finem, non poterat impediri ejus effectus, nisi per deordinationem ejus à fine, quæ sine peccato esse non poterat: & quia peccare poterat, libero arbitrio nondum in justitia confirmato, poterat impediri ejus effectus, ut morte esse perpetuum interciperetur: & ideo quodammodo erat mortalis, in quantum poterat mori, & quodammodo immortalis, in quantum poterat non mori. Sed potentia moriendi non poterat reduci statim in actum, nisi præcedente immutatione animæ secundum actum peccati: ideo simpliciter dicens erat homo in statu illo immortalis, & mortalis non nisi secundum quid, scilicet si peccaret: quia, ut in IX. Metaph. (text. xli.) dicitur, illud dicitur simpliciter esse in potentia ad aliquid quod potest statim reduci in actum uno motore: sicut non dicimus, quod ex terra possit fieri statua, sed ex cupro, quamvis ex terra fiat cuprum.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si compositum esse recepisset secundum conditionem materię, & non secundum potestatem formæ, cujus esse perpetuum est: & hoc idem animæ in principio, super communem naturæ cursum, collatum est.

Ad secundum dicendum, quod quidam dicunt, quod nulla dissolutio, vel perditio facta fuisset in corpore Adæ, & cibus ab eo non sumebatur ad restaurationem deperditi, sed contra hunc defectum communem omni creaturæ, qui est veritabilis in nihil. Sed hoc ridiculum videtur: quia secundum hoc etiam corpora cœlestia cibi indigerent, & etiam in corpore substantiæ: nec contra hunc defectum per cibos subvenitur, ut vel tollatur dependentia sui esse (1) per cibum, vel saltem minuatur. Irrationabile autem est quod indigerit propter defectum aliquem, (2) propter quem illi defectui subveniri non possit. Et ideo dicendum est, quod cibus sumebatur ad restaurationem deperditi, & ad augmentum corporis in quantitate perfecta, & ad multiplicationem speciei

per viam seminalem, secundum quod nutritiva augmentativa, & vegetativa deservire dicitur: & ideo oportet ponere quod aliqua particularis deperditio in corpore Adæ fieret; non tamen poterat subsequi dissolutio in toto propter virtutem regitvam corporis, quæ erat ex parte animæ, ut dictum est: sicut etiam in partibus mundi contingit elementorum in partibus corruptionem fieri; non autem in toto contingit elementa corrumpi, ex eo quod inferiorum corporum ordo virtute superiorum conservatur.

Ad tertium dicendum, quod si Adam non comedisset, moreretur: nec tamen mori poterat ante peccatum, quia hoc ipsum quod erat non comedere tempore determinato, fuisset sibi peccatum: tum quia erat contra præceptum divinitus promulgatum, quo præceptum erat sibi ut de omni ligno paradisi comederet, Genes. ii. tum quia non existente præcepto, foret contra legem naturaliter insitam. Tempus autem determinatum comedendi non per experientiam defectus cognovisset, sed iudicio rationis.

Ad quartum dicendum, quod impossibile est quod de corruptibili in incorruptibile transmutatio fiat, vel e contrario, si sumantur ut opposita, idest supra eadem principia fundata. Incorruptibilitas autem illa quam primus homo habuit, non fuit in principiis naturæ fundata, sed in virtute animæ divinitus concessa: & ideo quando naturæ suæ derelictus est, mortem quam in natura sua habebat, necesse fuit in actum exire, quæ quidem dictæ immortalitati opposita non erat.

Unde patet responsio ad quintum: quia illa immortalitas principia naturæ, in quibus consistit mortalitas, non tollebat: unde nulla differentia constitutiva diminuitur: dicebatur enim homo tunc mortalis, prout mortale est differentia ejus, secundum quod ex conditione naturæ suæ mortem habuit.

## ARTICULUS III.

*Utrum corpus Adæ fuerit passibile.*

*I. P. quæst. xcvi. art. 2.*

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod corpus Adæ fuerit passibile. Sentire enim, secundum Philosophum, III. de Anima text. lxi. quoddam pati est. Sed Adam habuit corpus sensibile. Ergo & passibile.

2. Præterea. Corpora superiora sunt causa motuum in inferioribus corporibus. Sed corpus Adæ aliquo modo mutabile erat, ad minus secundum augmentum. Ergo erat receptivum impressionum superiorum corporum. Sed recipere impressionem agentis est pati. Ergo habuit corpus passibile.

3. Præterea. Somnus est passio quædam, & immobilis organorum sensibilium, ut Philosophus ostendit, de somno & vig. lect. i. Sed Adam in primo statu dormivisset: unde Genes. ii. impissus in eo sopor à Domino dicitur. Ergo corpus passibile habebat.

4. Præterea. Augmentum sine alteratione esse non potest, nec alteratio sine passione, ut I. de generatione, lect. xvi. & text. comm. xxxviii. dicitur. Sed corpus Adæ erat augmentabile. Ergo & alterabile, & passibile.

5. Præterea. Omne molle obvians duro, oportet quod cedat sibi. Sed Adam habuit in carne sua mol-

*In II. Sent. Tom. II.*

(1) *Fortè* passionibus. (2) *Al.* non natura.

litiem. Ergo ab aliquo corpore duro, ut securi, scari potuisset; similiter etiam urii, ut dicitur, ab excellenti calido; & sic de omnibus aliis (1) passibilibus corporalibus.

Sed contra. Omnis passio magis facta abijcit à substantia, ut dicit Philosophus, VI. Topicor. cap. ii. Sed quod abijcitur à substantia, est via in corruptionem. Ergo cum corpus Adæ fuerit incorruptibile, non potuit simul esse passibile.

Præterea. Cum semper patiens sit ignobilis agente, passio aliquem defectum importat in patiente. Sed corpus Adæ nulli defectui subijci poterat. Ergo passibile non erat.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod pati dicitur dupliciter: uno modo communiter, alio modo proprie. Communiter dicitur pati quidquid recipit aliquid quocumque modo: & sic cum omne recipiens careat eo quod recipit, & sit in potentia ad illud, & e contrario omne quod est in potentia ad aliquid, sit receptivum alicujus; à tali passibilitate nihil absoluitur, nisi illud quod est actus purus, scilicet Deus: omnis enim creatura passibilis dici potest, secundum quod alicujus perfectionis receptibilis est. Sed quia illud quod perfectionem recipit, non proprie dicitur passum, vel alteratum, sed magis perfectum, ut in VII. Phys. text. com. xvi. dicitur; ideo proprie dicitur pati, secundum quod passio sequitur alterationem, qua aliquid transmutatur ab eo quod est sibi secundum naturam; sicut si aqua calefiat, vel aer inspissetur, & si corpus animalis infirmetur, non autem si sanetur. Primo ergo modo accepta passione, corpus Adæ passibile erat; sed secundo modo accepta, tunc dicendum est, corpus ejus fuisse passibile secundum quid, scilicet si peccaret, & impassibile simpliciter, sicut de mortali, & immortalis dictum est, supra art. 2. in cor.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est passio. Una quæ sequitur actionem naturæ, quando scilicet species agentis recipitur in patiente secundum esse materiale, sicut quando aqua calefit ab igne. Alia quæ sequitur actionem quæ est per modum animæ, quando scilicet species agentis recipitur in patiente secundum esse spirituale, ut intentio quædam, secundum quem modum res habet esse in anima, sicut species lapidis recipitur in pupilla; & talis passio semper est ad perfectionem patientis: unde talem passionem non excludimus à corpore Adæ.

Ad secundum dicendum, quod cum motus superiorum corporum sit ut vita quædam, (2) quæ inest natura existentibus omnibus, ut in VIII. Physic. text. com. i. dicitur, passio illa secundum quam corpora inferiora superiorum impressionem recipiunt, est ad perfectionem, & conservationem eorum: unde nec etiam talis passio à corpore Adæ excluditur.

Ad tertium dicendum, quod secundum quosdam, homo in primo statu non dormivisset. Sed quia hoc ratione, vel auctoritate firmari non potest, probabilius videtur ut ex quo vitam animale habebat, ea quæ talem vitam consequuntur, sibi non deessent. Somnus autem quandoque convenit ex causa naturali, sicut ex vaporazione alimentii, vel ex humiditate cerebri, ut in prima ætate; & sic videtur utraque de causa potuisse esse somnum in primo statu: quandoque vero ex causa innaturali, sicut ex labore, aut

Aa

agri-



ægritudine; & sic non fuisset ibi somnus. Somnus enim, quantum in se est, est passio ad perfectionem totius animalis pertinens, eo quod in somno intenduntur virtutes naturales, & quietantur virtutes animales, ut postmodum fortiores sint in actibus suis.

Ad quartum dicendum, quod in augmento est alteratio ejus quod additur, quia convertitur in substantiam ejus quod augetur; non autem oportet quod sit alteratio ejus cui additur, per quam a perfectione naturæ suæ transmutatur: & hoc quod augetur, est illud cui additur alimentum: unde ex augmento non potest concludi passibilitas corporis augmentati.

Ad quintum dicendum, quod quamvis caro Adæ mollis esset, & divisibilis, tamen per providentiam suam continebatur a tali passione, dum sibi a nocivis cavebat; quod si non faceret, peccaret. Sed per divinam providentiam ab omni violentia conservabatur illæsus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum homo in primo statu fuerit impassibilis, & immortalis per naturam.*

*I. P. quest. xcvi. art. 1.*

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod per naturam homo in primo statu erat impassibilis, & immortalis. Eiusdem enim est infundere, & continuare vitam. Sed anima naturaliter vitam corpori infundit. Ergo etiam naturaliter in perpetuum vitam in corpore continuasset.

2. Præterea. Ut dicit Augustinus XI. super Gen. cap. x. & Philosophus in III. de Anima, text. xix. agens est nobilissimum corpus. Ergo a nullo corpore pati poterat, ut corrumpere, etiam secundum conditionem naturæ suæ.

3. Præterea. Corruptio contingit in corporibus mixtis ex hoc quod aliquod elementorum prædominans harmoniam mixtionis dissolvit. Sed corpus Adæ erat temperatissimum. Ergo videtur quod non poterat ibi sequi corruptio naturalis per excessum alicujus contrarii.

4. Præterea. Corruptio naturalis animalium contingit ex consumptione humoris naturalis. Sed in corpore Adæ, si aliquid deperdebatur, poterat per cibum assumptum restaurari, præcipue cum ipse quantitatem deperdit, & virtutem cibi assumpti cognosceret, & in edendo modum conservaret. Ergo videtur quod nunquam naturaliter corruptus fuisset.

5. Præterea. Illa dicimus naturaliter evenire quæ ex rationibus seminalibus rebus inditis consequuntur. Sed per virtutem ligni vitæ, immortalitatem consecutus fuisset, ut in littera dicitur. Ergo videtur, cum lignum illud esset corpus naturale, quod naturaliter vitam conservare potuisset.

Sed contra est, quia Dionysius dicit in iv. cap. de div. Nom. tit. *Neque demones natura mali sunt*, quod data naturalia demones per peccatum non perdidissent. Sed homo non amplius quam demon peccavit. Ergo si immortalitatem habuisset, eam nullatenus amisisset.

Præterea. Differentiæ consequuntur ex principiis essentialibus speciei. Sed mortale est differentia hominis. Ergo ex naturalibus principiis homo habet quod sit mortalis. Cum ergo natura speciei eadem sit ante peccatum, & post, videtur quod ante peccatum etiam naturaliter mortalis erat.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod immortalitas illa, & impassibilitas, quam homo habuit in primo statu, non inerat sibi ex suis principiis naturæ, ut dictum est, sed ex beneficio conditoris, unde naturalis proprie dici non potest; nisi forte naturale dicatur omne illud quod natura incipiens accepit. Sed contra multiplices modos corruptionis, & causas, pluribus remediis a corruptione conservabatur. Est enim quadruplex modus quo corpora animalium corrumpuntur. Primus est, qui communiter invenitur in omnibus generabilibus, & corruptibilibus, ex hoc quod res materiales habent virtutem finitam ad essendum; unde oportet quod omnes certa periodo corrumpantur, ut in II. de generatione, text. comm. lvi. dicitur. Secundus est communis omnibus corporibus mixtis, ex excessu inordinato alicujus contrariorum; & contra utrumque istorum defectum subveniebatur homini per quamdam virtutem animæ collatam ad hoc ut secundum conditionem suam materiam perficeret; ut sicut ipsa anima habet esse indeficiens, ita indeficiens esse corpori tribueret, & perpetuam æqualitatem complexionis. Tertium modum corruptionis proprium habent corpora animata, sicut & proprium modum generationis, ex hoc scilicet quod calor, qui est instrumentum animæ, humidum consumit, in quo est vita; & contra hunc defectum subveniebatur sibi duplici beneficio: quia per esum aliorum lignorum paradisi restaurabatur continua deperditio facta in corpore, sicut etiam in nobis fit per cibos quibus utimur. Sed quia illud quod ex nutrimento convertitur, non est adeo perfecte subserviens virtuti speciei, sicut quod prius erat, eo quod virtutes naturales semper debilitantur in agendo; ideo in nobis oportet quod in fine sequatur diminutio, quando virtus speciei adeo debilitatur propter mixtionem extranei quod non potest fieri tanta restauratio quanta fit consumptio: & sic in fine oportet consumptionem esse, ut Philosophus in I. de generatione, lect. xxv. vel text. lxxxviii. dicit: & ponit exemplum de vino, cui semper admiscetur aqua, quod tandem aquosum fit. Sed ad hoc subveniebatur ei lignum vitæ, cujus virtute divinitus concessa alimentum assumptum in perfectam assimilationem adducebatur: propter quod etiam a quibusdam dicitur, quod ad restorationem humiditatis radicalis deperditum conferebat. Quartus autem modus corruptionis est per violentiam ab aliquo extrinseco agente, sicut per incisionem gladii, vel adustionem ignis, & hujusmodi; & ab hoc modo corruptionis conservabatur hominem illæsum divina providentia, per quam decretum erat ut nullum nocumentum homo pateretur in corpore, nisi prius a mentis innocentia deviasset.

Ad primum ergo dicendum, quod anima non est naturale infundere vitam, nisi tali corpori, scilicet quod est sic complexionatum, & organatum; & manente tali dispositione corporis, vita continuatur ab anima. Sed hanc non est possibile semper durare secundum potestatem inferioris naturæ: unde non oportet quod immortalitas sit naturalis.

Ad secundum dicendum, quod impossibile est aliquod mixtum esse in quo non prædominetur alterum contrariorum, multis de causis. Primo cum naturæ elementares se habeant quasi materialiter ad formam mixti, non posset mixtum consequi unam formam simpliciter: nisi elementa aggregarentur in unum hoc modo quod unum sit formale, & prædominans. Secun-

## ARTICULUS V.

*Utrum immortalitas Adæ fuerit eadem cum immortalitate resurgentium.*

*I. P. quest. cxi. art. 2. & de verit. quest. xxiv. art. 9.*

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod immortalitas Adæ non sit eadem cum immortalitate resurgentium. Primo per hoc quod Augustinus (c) dicit, IV. super Genes. cap. 11. & XIII. de Trinit. versus fin. quod alia est immortalitas quam in Adam perdidimus, & alia quam per Christum in resurrectione speramus.

2. Præterea. De eodem in idem non est aliqua transmutatio. Sed infra dicitur, quod si Adam persistisset, transferendus erat de immortalitate quam habebat, in spirituale vitam. Ergo immortalitas spiritualis, qualis est resurgentium, non est eadem cum immortalitate Adæ.

3. Præterea. Impassibilitas resurgentium est quædam ipsorum dos. Sed Adam in primo statu dorem non habuit, cum dos non debeatur nisi ei qui traditur in domum celestis sponsi per modum sponsæ. Ergo &c.

4. Præterea. Ea quæ causantur ex diversis principiis, oportet esse diversa. Sed immortalitas Adæ causabatur ex innocentie gratia; immortalitas autem resurgentium causabitur ex habitu gloriæ in beatitudine. Ergo non eadem immortalitas est utrobique.

5. Sed contra. Immortalitas corporis consequitur libertatem arbitrii, secundum ejus diversum statum. Sed in omnibus statibus est eadem libertas arbitrii. Ergo eadem est immortalitas corporis in primo, & ultimo resurgentium statu.

6. Præterea. Una & eadem potentia est quæ prius disposita est, & postmodum efficitur necessitas. Sed corpus hominis in primo statu erat immortale, quasi secundum potentiam dispositam tantum, eo quod poterat mori, & non mori; in ultimo vero statu erit immortale secundum potentiam, quæ est necessitas ad vitam, quia impossibile erit mori. Ergo est una & eadem immortalitas.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod immortalitas dicitur potentiam quamdam ad semper vivendum, & non moriendum. Hæc autem potentia in natura humana ex parte corporis non invenitur, nisi imperfecta, quæsi potentia obedientie tantum: eo quod per principia naturæ, vitæ sempiternitas haberi non potest; sed complementum hujus potentie est ex aliquo divino munere gratis collato. Sic ergo immortalitas dupliciter considerari potest: vel quantum ad potentiam incompletam naturalem; & sic est una & eadem immortalitas, sicut una & eadem natura: vel quantum ad munus gratiæ, quod est quasi formale complementum dictam potentiam; & sic invenitur differentia utriusque immortalitatis, & impassibilitatis: quia prima fuit per gratiam innocentie, ultima vero erit per donum gloriæ. In primo enim statu talis erat vic-

Aa 2

to-

cundo quia ad mixtionem exigitur elementorum alteratio, quam esse non contingeret, si ponerentur eorum æquales virtutes: oportet enim quod virtus alterantis, virtutem alterati excedat. Tertio quia nullum locum naturalem haberet, si nullum elementum in eo dominaretur; & ita nec motum naturalem: in quo deficeret a proprietate corporis naturalis. Quarto quia in animalis specialiter calor est instrumentum animæ, ut in II. de Anima, text. com. l. dicitur: unde oportet calorem prædominari; & sic oportet quod in quolibet mixto tandem sequatur corruptio.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet, illud quod est nobilissimum simpliciter, esse minus nobile secundum aliquid; sicut caro humana, quæ quidem secundum naturam suæ speciei nobilior est gladio, tamen secundum proprietatem duri, & mollis, est ignobilior, quia durum nominat potentiam naturalem respectu illius rei cuius molle impotentiam dicit; & eodem modo est ignobilior quam ignis, cum habeat in potentia calorem, quem ignis habet actu; actus vero semper potentia est nobilior: & ideo contingit corpus nobilissimum ab ignobiliori pari secundum naturam, ut corpus animalis ab igne.

Ad quartum dicendum, quod illud quod ex nutrimento in carnem convertitur, semper efficitur minus ac minus habens de virtute speciei: tum quia virtus naturalis ex actione debilitatur, eo quod agens simul patitur, ut in VI. Physic. (a) text. lxi. dicitur: tum quia perfectius recipit virtutes speciei quod per se generatur, quam quod generatur per admixtionem ad alterum, sicut vinum quod generatur in vite, virtuosius est quam hoc quod generatur ex additione aquæ transumptæ in vinum, ex cuius etiam admixtione totum vinum debilitatur: tum etiam quia omnis virtus quanto plus est unita, tanto efficacior est ad agendum; & quanto materia magis multiplicatur, tanto calor naturalis magis diffunditur, tunc est minus potens ad convertendum; sicut etiam in Libro (b) XIII. de animalibus dicit Philosophus, quod animalia quæ habent magnum cor, sunt timida: quia calor in magno corde est dispersus, & in parvo congregatus: & ideo in puero tantum de alimento convertitur quod sufficit non solum ad restorationem deperditum, sed etiam ad augmentum; sed postea convertitur solum hoc quod ad restorationem deperditum sufficit; tandem vero non tantum natura potest convertere quantum deperditum: unde oportet quod sequatur diminutio, & tandem corruptio. Et ideo per virtutem naturalem hoc non potest contingere ut per sumptionem cibi vita hominis perpetuo conservetur.

Ad quintum dicendum, quod lignum vitæ non erat principalis causa immortalitatis, sed coadjuvans ad continuationem vitæ modo prædeterminato: ideo immortalitas non est iudicanda naturalis propter virtutem ligni vitæ; sed magis gratuita propter virtutem animæ supra naturam collatam, quæ principalis causa immortalitatis erat. Et præterea in rebus viventibus non dicitur aliquid naturale nisi quod ex principio intrinseco consequitur, quamvis etiam per actionem quarundam rerum naturalium extrinsecus agentium aliquid in eis efficiatur, ut patet in uestione, & aliis similibus.

*In II. Sent. Tom. II.*

Ex Edit. P. Nicol. (a) Velut ex text. lxi. prius indicabatur ad marginem, sed fictive. Colligitur potius ex VIII. Physic. text. xli. & expressius Lib. IV. de gener. anim. cap. 111. circa medium. (b) Vel juxta novam seriem, sive inscriptionem Lib. III. de part. anim. cap. 1v. (c) Ut in Magistri textu indicatur, sed esse Bedæ, ad marginem ibid. notatum est; etsi æquivalenter ex Augustino colligitur Lib. VI. super Gen. ad lit. cap. xxiv. non Lib. IV. cap. 11. & Lib. XIII. de Trin. versus finem; ut prius.



toriam animae super corpus, ut nihil in corpore fieri posset quod animae adversaretur; sed in ultimo statu amplior erit victoria in hoc quod proprietates animae quodammodo in corpus redundabunt, ut corpus agile, & lucidum, & spirituale efficiatur, & impassibile.

Et per hoc patet responsio ad utramque partem.

EXPOSITIO TEXTUS.

In primo statu fuit corpus hominis animale. Videtur quod tale etiam erit in tertio statu, cum animal generis hominis sit, & semper de specie praedicetur. Et dicendum, quod differt animal, & animale quantum ad nominis significationem: quia animal nominatur naturam generis, quae a specie nunquam removetur, unde semper homo dicitur animal; sed animale dicitur aliquod denominatum ex natura animalis. Cum autem denominatio proprie sit ab eo quod est formale, & perfectivum rei, illi tantum animale esse competit in quo proprietates animalis quantum ad aliquid (1) dominantur. Haec autem sunt in quibus homo cum aliis animalibus convenit: & ideo qui brutales sequitur, id est passiones sensitivae partem, animalis homo ab Apostolo dicitur I. Corinth. 11. Quia ergo in primo statu hominem oportebat occupari circa opera nutritivae, & generativae, sine quibus vitam conservare non poterat; ideo animale vitam dicebatur habere.

Corpus propter peccatum mortuum est. Videtur hoc esse falsum, & expositio insufficientis quae adjungitur: quia quod in futurum necessarium est, nondum tamen dicitur esse factum; ergo etsi ex peccato necessitatem mortis homo incurrat, non tamen corpus ejus mortuum dici debet.

Et dicendum secundum quosdam, quod homo post peccatum est in continuo actu deficiendi usque ad mortem, secundum quod dicitur Sapient. v. 13. Continuo nati (2) deservimus esse: & ideo statim homo mortuus potest dici. Sed hoc videtur redire in opinionem Heracliti, qui ponebat omnia moveri semper: volebat enim omnem transmutationem quae in longo tempore contingit, puta augmenti, dividere secundum omnes particulas temporis, ut in qualibet parte temporis esset assignare aliam partem motus, sicut est in motu locali, qui solus proprie, &

vere continuus est, ut in VIII. Physicorum Commentator dicit; & hoc satis a Philosophis improbatum. Praeterea non est (3) possibile quod duo motus contrarii sint continui: unde cum generatio, & corruptio sint contraria, oportet inter tempus generationis & corruptionis ejusdem rei esse aliquod tempus in quo non corrumpitur, nec generatur. Et praeterea adhuc non debet dici mortuum, sed moriturus.

Et ideo aliter dicendum est, quod expositio Augustini est sufficienter, ut scilicet ex hoc mortuum dicatur, quia necessitatem mortis habet: quod enim est in futurum necessarium, etsi nondum in actu in seipso, est tamen jam determinatum in causa sua, ut quodammodo possit dici esse. Unde & de ortu solis, & lunarium, & occasu, & eclipsibus fiunt demonstrationes, ut de his quae sunt semper, quia causas determinatas habent, quas non contingit aliquo modo deficere. Unde dicit Augustinus IX. super Genes. cap. x. quod hoc modo dicitur corpus hominis post peccatum mortuum, sicut a medicis homo infirmus desperatus propter impossibilitatem evadendi dicitur mortuus. Quod autem dicitur Continuo nati deservimus esse, non est intelligendum, quasi transmutatio corruptionis hominis sit toto tempore vitae ejus in actu; sed vel hoc dicitur propter brevitate vitam, quod enim parum est, quasi nihil esse videtur, ut dicitur in II. Physic. vel quia dies ad vitam determinati a Deo, continue labuntur.

Quod erat ei de ligno vitae. Videtur quod hoc dictum redeat in fabulas antiquorum, quas Philosophus detinet, & improbat in III. Metaph. qui dicebant, deos qui gustaverunt de quodam cibo, factos esse immortales, alios autem remansisse mortales. Sed dicendum, quod non est simile: quia illi fabulose totam causam immortalitatis cibo conferebant; Augustinus vero non intendit quod lignum vitae esset principalis causa immortalitatis, sed quoddam ad immortalitatem coadjuvans, ut dictum est.

(4) Numquid posset non mori? Ad hujus questionis solutionem sciendum, quod etsi praecipuum exterius non accepisset, tamen interior ratio dicebat,

(5) determinato tempore cibum sumendum esse: & ideo si cibum non assumpsisset, tam de illo ligno, quam de aliis, contra legem naturalem (6) fecisset; & ideo peccasset, & mortuus fuisset.

DISTINCTIO XX.

De modo procreationis filiorum, si non peccassent (7) primi parentes, & quales nascerentur filii.

Post haec videndum est, qualiter primi parentes, si non peccassent, filios procreassent, & quales ipsi filii nascerentur. Quidam putant ad gignendos filios, primos homines in paradiso misceri non potuisse, nisi post peccatum, dicentes concubitus sine corruptione, vel macula non posse fieri; sed ante peccatum nec corruptio, nec macula in homine esse poterat, quoniam ex peccato haec consecuta sunt. Ad quod dicendum est, quod si non peccassent primi homines, sine omni peccato, & macula in paradiso carnali copula convenissent, & esset ibi thorus immaculatus, & mixtio sine concupiscentia, atque genitalibus membris, sicut caeteris, imperarent, ut ibi nullum motum illicitum sentirent: & sicut alia membra corporis aliis admovemus, ut manum ori, sine ardore libidinis; ita genitalibus uterentur membris sine aliquo pruritu carnis. Haec enim letalis aegritudo membris humanis ex peccato inhaesit. Genuissent itaque filios in paradiso per coitum immaculatum, & sine corruptione. Unde Augustinus super Genes. Lib. IX. cap. x. Cur, non credamus, primos homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuisse, sicut caeteris in quolibet opere, sine voluptatis pruritu (8) utimur? Incredibile enim non est, Deum talia fecisse illa corpora, ut, si non peccassent, illis membris sicut pedibus imperarent; nec cum ardore se-

(1) Al. denominantur. (2) Al. deservimus. (3) Al. impossibile. (4) Al. Non quod posset, &c. (5) Al. terminato. (6) Al. fuisset. (7) Al. omittitur primi parentes. (8) Al. utimur.

minarent, vel cum dolore parentem. Sed post peccatum, motum illum mererunt, quem nuptiae ordinant, continentia cohibet. Et cap. VII. Infirmas enim prona in ruinam turpitudinis, excipitur honestate nuptiali; & quod sanis officium esset, aegrotis est in remedium. Et cap. 111. Emissi quidem de paradiso conyenerunt, & genuerunt; sed potuerunt in paradiso eis esse nuptiae honorabiles, & thorus immaculatus, sine ardore libidinis, (3) sine dolore pariendi.

Quare in paradiso non coierunt, duobus modis solvit.

CUR ergo non coierunt in paradiso? Quia creata muliere mox transgressio facta est, & ejecti sunt de paradiso: vel quia nondum (4) Deus jusserat ut coirent; & poterat divina expectari auctoritas, ubi concupiscentia non urgebat. Deus vero non jusserat, quia casum eorum praesciebat, de quibus homo propagandus erat. Ibid. cap. IV. Ecce expresse habes de modo procreationis filiorum.

(5) De termino illius inferioris vitae, utrum nati filii per successiones, an simul omnes transferendi fuissent.

De termino vero temporis quo transferentur ad spirituales caelestemque vitam, certum aliquid Scriptura non tradit; & ideo ambiguum est, utrum parentes, genitrix filii, perfecta quoque humani officii justitia, ad meliorem statum transferentur, non per mortem, sed per aliquam mutationem; an patres in aliquo statu vitae manerent, ligno vitae utentes, donec filii ad eundem statum pervenirent; & sic impleto numero, omnes simul ad meliora transferentur, ut essent sicut sancti Angeli Dei in caelis. De quo Augustinus ambigue disserit super Genes. Lib. IX. cap. IV. ita inquit. Potuerunt primi homines in paradiso filios gignere, non ut morientibus patribus succederent filii; sed in aliquo forma statu manentibus, & de ligno vitae vigorem sumentibus, & filii ad eundem perducerentur statum, donec impleto numero, sine morte animalia corpora (6) in aliam qualitatem transirent, in qua omnino regenti spiritui deservirent, & solo spiritu vivificante, sine corporeis alimentis viverent. Et cap. VI. Vel potuerunt parentes filii cedere, ut per successiones numerus impleteretur: qui genitrix filii, perfecta quoque humani officii justitia ad meliora transferentur, non per mortem, sed per aliquam mutationem. Ecce hic habemus de transitu hominis ad meliora; sed incertum nobis relinquitur, utrum simul transferentur, an per successiones.

Quales procreassent filios, utrum perfectam staturam, & usum membrorum habentes, qualis primus homo.

Si vero quaeritur, quales, si non peccasset homo, filios genuisset: utrum videlicet, sicut ipse primus homo secundum (7) staturam corporis, & usum membrorum perfectus mox conditus extitit, ita etiam ejus filii in ipso nativitate exordio perfecti extiterent, qui ambulare, & loqui, & caetera cuncta facere possent: responderi potest, quod filios parvulos nasci oportebat propter materni uteri necessitatem. Sed utrum mox nati, perfectionem staturae, & membrorum usum haberent; an parvuli, & in minori aetate constituti, uti possent membrorum officii, an per intervalla temporum, eo modo quo nunc fit, perfectionem staturae, & usum membrorum recepturi essent: auctoritatibus diffinitum non habemus: & super hoc Augustinus ambigue loquitur, Lib. I. de peccatorum mer. & remis. cap. xxxvii. Movet nos, inquit, si primi homines non peccassent, utrum tales filios essent habituri qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus uterentur. Nam propter uteri (8) necessitatem, forte necesse erat parvulos nasci; sed quamvis exigua pars corporis sit costa, non tamen propter hoc parvulam viro conjugem fecit. Unde & ejus filios poterat omnipotentia Creatoris, mox natos, grandes facere. Et cap. xxxvi. Sed ut hoc omittam, poterat certe eis prestare quod multis animalibus praestitit, quorum pulli quamvis sint parvuli, tamen mox ut nascuntur currunt, & matres sequuntur: e contra homini nato nec ad incessum pedes idonei sunt, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & juxta se mammis positae, nascentes magis possunt esurientes flere, quam sugere. (9) Propria vero infirmitati mentis congruit haec infirmitas carnis. His verbis videtur insinuari, quod filii etiam parvuli officii membrorum valerent uti.

Quibusdam non absurde placuit, quod filii parvi nascerentur, & per accessum temporis in statura, & in aliis sicut nunc proficerent: quod non esset vitio imputandum.

SED cum Augustinus sub assertione de his nihil tradat, non irrationabiliter quibusdam placuit, primorum parentum filios nascituros parvulos, ac deinde per intervalla temporum, eadem lege qua & nunc nativitate humanam ordinatam certimus, staturae incrementum, & usum membrorum recepturos; ut in illis expectaretur aetas ad ambulandum, & loquendum, sicut modo in nobis: quod utique non esset vitio deputandum, sed conditione naturae: sicut a cibo non penitus abstinere valebat; nec tamen illud erat ex vitio, sed ex naturae conditione.

Ad hoc autem opponitur ita. Si non peccarent, nec morerentur. Sed non peccarent, si non comederent. Poterant ergo sine alimonia vivere. Caeterum, sicut supra diximus, non solum peccarent, si de ligno verito ederent, sed etiam si concessis non uterentur: quia sicut erat eis praecipuum non illo ligno uti, ita aliis vesci. Praeterea. Contra naturalem rationem facerent, quia intelligebant de illis esse edendum, quod & naturaliter appetebant. Item opponitur. Cum fames sit poena peccati, si non peccarent, famem non sentirent. Sed sine fame superfluum videretur comedere. Unde putant quidam eos cibis non indiguisse ante peccatum: quia non poterant esurire, si non peccassent.

(3) Al. sine labore. (4) Al. deest Deus. (5) Al. Determinatio illius inferioris vitae, utrum nati filii, &c. (6) Al. in illam. (7) Al. naturam. (8) Nicolai capacitatem. (9) Al. Propriaque infirmitati.